

COLLEGIUM MEDICORUM - CURIOSI SPECIMEN VII.

* 28. Conchæ Anatiferæ, vel Anserculi Scotici aliquot, cum Musco & Algis Marinis adnati superficiei scabræ Corticis ligno si cujuscumque, ambitu suo æquantis palmam manûs circiter; monstrati, donoq; accepti à Perillustri & Excellentissimo Dno, Dn. CLAS ab ALEFELD, in Nord-See &c. Hæreditario Dno, S. Reg. Dan. &c. Majest. Campi Marschallo Generali, &c. &c. Patrono meo singulari, & Æstimatore selectiorum Naturæ ac Artis Operum, inter pulcherimas multas Martiales Glorias, benignissimo. *Figura illarû quasi tri-*



quetra: magnitudo exigua, hîc ad lit. a expressa; quib; multò majores in Muséo suo Ol. Wormi9 (lib. 3. c. 7. pag. 256.) exhibet. Unde meas pro recentioribus habeo, allatas ex littore quodam Norwegiæ, quorsum à fluctib; Maris potuerunt compelli; & natas forsân intra vel propè Oceani Britannici Orcades Insulas, aut in vicinis locis Scotia Septentrionalis, ubi reliqui Anseres arborei vel nautici nascuntur; de quibus Mich. Majerus peculiarem libellum scripsit, lectu dignum. Vel potiùs in ipsâ Norwegiâ etiam istæ Conchule meæ nasci potuerunt, si quidem ex eodem Regno Ligni abietini fructum (ex quali & Corticem meum æstimo) cui variæ minutæ, & nondum perfectæ (conchæ) adhæserint, se habuisse, ante-dictus Wormius (pag. 257.) expressè addit, quem ulteriùs vide; nec non Majerum (d. Volucris arbor. c. 3. pag. 32. & 35.) de diverso natali loco illarum differentes. Forinsecus meæ, (quod in Testaceis ceteroquin rarum) quadrivalves sunt; quarum priores duæ (quod Wormius imprimis in grandioribus notavit) triplo majores posterioribus, quæ iis, tanquam appendices, adherent: atq; omnes tenues valdè, compressæ, leves, coloris Onychini. Intra quas Aviculæ, (postmodum avolaturæ, vel enaturæ) rudimentum recubat, gilvo-

cine-